10.5.

Digitized by Google

A. lat. a. 413 (13
803
Müller

Digitized by Google

Universitati literarum

JENENSI

solennia saecularia tertia

diebus XV, XVI et XVII mensis augusti

anni MDCCCLVIII

celebranda

pie gratulantur

Gymnasii Rudolstadiensis

director et professorum collegium.

Adiunctum est poetae incogniti carmen epicum, inscriptum Orestis tragoedia, quod ex codicibus Bongarsiano et Ambrosiano primum edidit Dr. Carolus Guilielmus Müller, professor et director gymnasii.

Rudolstadii
ex officina G. Froebelii.

Digitized by Google

Digitized by Google

In tertiis solennibus saecularibus universitatis literarum Jenensis nos quoque, director et praeceptores gymnasii Rudolstadiensis, gratulamur, non solum quod nostra fere omnium ingenia professorum Jenensium egregia institutione ad humanitatem consequendam promota sunt, ut si quid ad literarum studia adiuvanda contulimus, illis viris debeamus, et temporis, quo Jenae commorati sumus, etiam nunc gratissima memoria mentibus nostris infixa est; non solum quod plurimi adolescentes, qui a nobis eruditi et instituti ad altiora studia adire volunt, nullis principatus Schwarzburgensis legibus coacti Jenam se conferunt, ut ex pronao in interiora templi doctrinarum loca introducantur probatique humanitatis sacerdotes evadant: sed eam inprimis ob causam gratulantes festos dies concelebramus, quod qui Jenae studium ad literas conferunt et contulerunt non mutabili aetatis ingenio indulgent, sed suapte ingenii natura ad id solum excitantur, quod verum pulchrumque est, idque inde fieri putamus, quod Jenensis literarum universitas iis gaudet liberales artes profitentibus viris humanissimis doctissimisque, qui in suo quisque genere principem locum tenent et praeterea secundum fundatoris illustrissimi Joannis Friderici, magnanimi, electoris Saxoniae, voluntatem sincerae doctrinae Christianae, quam quidem protestantismum vocamus, firmissimi sunt propugnatores, et speramus fore ut ea rerum conditio etiam in posterum deo favente saluti

Digitized by Google

non solum Thuringicarum civitatum sed totius Germaniae permaneat, eamque spem pro bona certaque neque unquam ad irritum cadente lubenti animo concipimus. Nam virum quidem, qui, ne saecularia dicamus, at semisaecularia sacra muneris suscepti facit, verisimile est, munere porro minus validis viribus et iam pro hominum ratione non diu functurum esse; contra institutum publicum, quod centum annos constitit, diutius esse permansurum exspectandum est, et laetiorem etiam de eo spem habere possumus, si trecentos annos valuit et floruit. Firmo enim iam fundamento nititur, viribus, quas priore tempore accepit, annis procedentibus recentes adiunguntur, et consilium quod sequitur certo adipiscetur. Quam spem de universitate Jenensi habemus, et permulta sunt, quae eam in fiduciam convertunt.

Faxit igitur deus optimus maximus, ut tertia quoque solennia saecularia literarum et divinarum et humanorum florem proventu mittant prosperrimo atque uberrimo.

Digitized by Google

Incipit Orestis tragoedia.

Gaudia moesta canam detestandosque triumphos,
uictoris pro laude necem, festiua cruenta,
funeris affectus et lamentabile uotum
coniugis Iliacae, nam quae iugularat Atridem,
aurea regali rutilantia serta cruore
et diadema ducis foedatum tabe cerebri,
matris in exitium memorem oblitumque parentis,
inpietate pium reprobae probitatis Orestem,
iniustos sed iure deos ratione feroci
insontemque reum, purgantia templa sororum;
Thracia uirginitas quae dat de clade salutem,
fraude pia melior mendax germana sacerdos.
Te rogo, Melpomene, tragicis descende cothurnis
et pede dactylico resonante quiescat iambus.
da ualeam memorare nefas laudabile nati
et purgare foro quem damna . . . . .
quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira,
mens labat, adtollunt animi, bonus inpetus urguet,
dat furor arma pius, pietas dat noxia ferrum
et medicinales quatiunt sanare furores
extinctos titulos uictriciaque arma sepulta,
criminis ultorem dum criminis amputat auctor
et thalamis uindex thalamo sectante necatur.
ante toros iacet ille tori genialis amator,
ductorum ductor, regum rex dux Agamemnon
post dua lustra redux et post dua bella triumphans.
Martia bellipotens referebat classica princeps,
pupibus Argolicis rex Pergama nicta reportans
Iliacasque nurus et Troica germina matrum.
diuitias Asiae rex censens corde silenti

Digitized by Google

maxima flumineo dictabat dona tonanti,
optima Iunoni scribebat munera magnae
atque Mineruales donis addebat Athenas
omnibus et superis Danais quicunque fauebant;
nescius uxoris scelerumque ignarus Egisti
dona Clytaemnestrae non dignae multa parabat,
plurima subridens genitor disponit Oresti,
quae aptabat pietatis amor uel origo parenti,
non tamen aequa suis meritis animisque futuris
dona uerecundae seruabat pulcra puellae.
interea findebat iter per caerula ponti
irato tranquilla deo recidentibus euris,
candida fluctiuagi tendebant carbasa uenti
quo non cursus erat, sed quo dux inpulit aether:
Taurica perducunt ad litora castra Pelasga.
inperat indomitus praedam praeire Mycenis,
ipse secuturus post uota soluta Dianae.
ingreditur templum supplex, ueneranter adorat
numina casta deae. dum ferret munus ad aram, —
stamina purpureum pingebant serica uelum,
pepla coruscabant uariis gemmata lapillis, —
uidit Iphigeniam thuribula sacra ferentem.
haeret et attonitos oculos in uirgine figit,
obstupuit pietas et mens sibi conscia praui.
agmine pro Danaum cultro feriente litatam
nouerat et similem nasci potuisse putabat.
candida uirgo tamen plus iam cognoscere patrem
coeperat, officium citius dedit ipsa ministrae
mystica continuo summum uas igne repleuit.
regia uirgo cito per patria colla pependit,
oscula pura petens et dans conmercia mundi,
mox imber rigat ora pius nataeque patrique.
conticuit genitor, dum uultus gaudia plorant
et gemitus crebris singultibus oscula rumpunt,
tandem uocis iter pietas reserauit et infit:
filia, noster amor sed noster nata reatus,
uiuis an effigies et imago uolatilis extas?
si uiuis et non es sacrata morte dicata,
gaudeo; da ueniam, sic corruis ense deorum,

vers. 31—69.

Digitized by Google

nam uiuam te membra docent tactusque fatentur.
dic igitur, qua sorte manes a matre diremta
ad delubra deae circumdata tempora uitta
et, quod plus miror, nemorali sacra Dianae.
dixerat haec genitor, cui sic est uirgo locuta:
cum, pater, Hectoreos peteretis classibus agros,
fraudis Ulixeae formatur epistola mendax,
nomina uestra tenens, quasi iusseris ipsa uenirem
ocius ad thalamos coniux sponsantis Achillis.
credula mater erat, quae me conmisit Ulixi,
nec uocor ad thalamos sed uictima trador ad aras
et mitis pia templa deae miserante Diana.
pro me cerua datur ducenda uicaria nullis.
sic rapior cultris et seruio thuris alumna.
casibus auditis doluit gauisus Atrides,
qui numen ueneratus ait praecepta repertae:
plectrigeri germana dei Letoia Phoebe,
nomine tu quocunque deae praeclara uocaris,
numine mox ipso praestas quodcunque rogaris,
mitior existens, sacrum largita cruorem,
luctibus omissis donans lamenta parentum,
mucro sacerdotum uibret ieiunus et expers
sanguinis humani, contentus sanguine uili.
tu rapis ex aris animas et morte parata,
pignora redde precor regi post funera patri.
ut prosit demsisse neci, tibi Delia supplex
mille dabo pecudes, ceruos hircosque suesque,
cornibus armatas lunata fronte iuuencas.
nil actum Trojae est, si non comitante Mycenas
uirgine pergo redux plangenti reddere matri;
quam putat extinctam uestra pietate redemtam
sentiat et uertat proprios in gaudia planctus.
his precibus commota dea crudescit in iras,
auertit uultus oculos mentemque rogatam;
sensit ut armipotens flammari corda Dianae,
terretur retroque pedem cum uoce coercet,
tristis ad aequoreos celerat uestigia fluctus,
pupibus impositus proscindit cursibus aequor.

Digitized by Google

praeterea dum carpit iter spumantibus undis
fama Mycenens uolitans repleuerat oras
aduenisse ducem ditatum sorte duelli.
nec mora praeda uenit palmatis pupibus omnis,
occurrunt oculi Danaae de turribus urbis,
moenia femineis replentur cuncta cateruis.
captiuos uisura Phryges Agamemnonis uxor
adfuit, aduentus metuens inpura mariti.
qua uisa cessere loco matresque nurusque,
constitit insipiens ut adultera regia coniux,
publica plantigeris execrans gaudia uotis,
anxia sollicito quatiuntur corda pauore,
supplicium expectans scelerum ueniente marito
atque oculos per cuncta iacit mandante timore,
et pallor premit ipse genas feruore recenti,
attamen infelix animo uersatur adulter.
ast ubi non uidit descendere pupe tyrannum
inpunita putans sua crimina posse manere
gaudet et internae mentis secreta fatetur.
permixtus candore rubor pallore fugato,
et lasciua reos pulcrescunt gaudia uultus.
credidit aequoreas quod rex sit mersus in undas,
nec uult scire moras tantum contenta quod absit
et celeri cupit ire gradu dictura maritum
non reducem moecho, sed spes ibi fallitur audax.
praeterea sors regis erat Cassandra sacerdos,
inter Dardanias clades Danaumque triumphos
non habita indigne, licet esset portio praedae.
ipsa Clytaemnestrae sacro correpta furore
longius exclamat: salue regina Pelasgum,
ultio Dardanidum captae solatia Troiae,
tuque triumphalis domitor bone pastor Egiste,
plumea cui praestant post pelles stramina lectum,
quem post tecta casae regalis suscipit aula,
quid dubitatis adhuc uestros releuare timores?
perdite, ne pereat uestri cito fructus amoris,
tempus adest et fata iubent et culpa perurguet,
amputet eripiens uictricia colla bipennis;
uos licet et similis maneat censura malorum,

vers. 108—146.

Digitized by Google

sit saltem mora longa reis, dum crescit Orestes,
uictima carnificis nati post funera patris
mater eris, tecumque ferox ferietur adulter
Pyladis fodiente manu, mihi credite cari,
me miseram furor alter habet purgandus Orestes.
dixit et elisam retinent per transtra rudentes.
prouida terruerant reginam dicta nefandam,
it pallor super ora redux facinusque parare
disponit sub corde truci, furor urguet amoris,
sollicitusque timor grassatur mente pauenti,
moesta domo quasi laeta redit terrente pauore,
ingrediens thalamos suspiria longa trahebat
corde premens gemitus et gaudia uultibus aptans.
quid rumor, quid fama ferat, quid nuntia portent
auribus adtonitis lasciuus quaerit Egistus,
quae sexus armata dolis sub fraude latenti
incipit effari: iuuenis, dic, quid sit agendum.
occidimus, redit ille meus post bella maritus
uictor et armatus telo mordente, minatus
moribus Argolicis leges inducere castas,
tristibus inperiis alieni criminis ultor.
quid faciat pro iure suo? moriemur inulti
et periet iam noster amor, mactabit utramque
turbidus ante diem, solitus punire nocentes
letifero mucrone ferus; spes nulla salutis
est, nisi uitalem contemnimus ambo salutem.
gloria belligeri feriantur et arma tyranni,
et prior occumbat quam nostros sentiat ignes,
prospera bellorum quem sic fecere superbum
et Priami fortuna nocens, ut sanguinis ulti
humani generis uilem putet esse cruorem.
per te casta negor, per de fero damna pudoris,
nec uolo tam multi sceleris reperdere fructum,
an uerbis inimica loquens extorqueo factis?
communis nos casus habet uitaeque necisque,
est nobis commune bonum, commune periclum,
sors pariter nos una manet, iubeoque rogoque
pastorem regina monens formidine mortis,
territa sollicitor miserandi femina sexus,

vers. 147—185.

Digitized by Google

conueniens tamen hortor opus dum congrua uitae
inpero ne moriar tecum peritura cruente;
nam mecum miser ipse cades Agamemnone uiso.
inpie funereis nos casibus eripe sollers.
nec labor ullus erit uictorem sternere ferro,
semper iners securus erit, qui perculit hostem,
et patet insidiis nullo terrente quietus.
non est quem metuas, breuis est et paruus Orestes,
unaque natarum cinis est per templa Dianae,
altera sexus iners nequiens miseranda quid audet,
exulat interea Menelaus alter Atrides,
quidquid agis inpune geris, scelerisque peracti
sic merces non poena datur, felicior ibis
atque Agamemnonio regno potieris et aula;
exemplumque recens tibi iam superaddo, Lacaenam
interfectricem tot regum tot populorum
uiuere felicem post funera tanta quiete;
nec metuam Danaos, heredem sterno Thyestis.
dixerat haec mulier, spes est data maior Egisto.
tramite, dic, quo, pastor ait, geminare ualebo
hoc tam grande nefas, labor est extinguere regem
atque triumphantem quod plus in principis aula.
tunc pandens regina uiam scelerata profatur:
bellorum maculis et crasso sanguine uestem
rex ferus indutus ueniet, mutare necesse est
indumenta. duci tunicam dabo uertice clauso.
dum caput indutum cupit exertare tyrannus,
egredere praeuenta et atrox uiolentus Atridis
finde secure caput ceruicem colla cerebrum.
ultima res tantum quae restat sola juuabit,
consilio succumbe meo, haec una medela est,
luctibus inlatis auertere funera nostra.
dum moror adueniet nostri modo criminis ultor.
haec infausta loquens lacrimis simul ora rigabat.
turbidus in ferrum rapitur flammante timore,
audacem faciebat amor terrorque proteruus
et mouet armatos ictu quatiente lacertos
absentemque ferit pauidus quem non uidet hostem.
sic solet anguis hians obsesso fonte uenenum

vera. 186—221.

Digitized by Google

fauce parare necis fatis mortalibus aptum
pectore sublatus lingua uibrante trisulca.
motibus his mulier melius gauisa resumit
turpiter infames animos, redit illa uoluptas
inplens amplecti, per rustica colla pependit
dulcia lasciuis defigens basia labris.
ille uicem reddens dabat oscula crebra per artus.
dum commune nefas aequali mente fruuntur,
regia pupis adest uariis ornata coronis.
hinc magis audaces animos de crimine sumunt,
illa rapit tunicam, pastor rapit inde bipennem,
officio stat quisque suo, celatus adulter
intra claustra latet, mulier progressa parumper
morte maritali tunicam subnisa ferebat.
rex rate descendens tacta tellure triumphat,
bellorum maculis rutilabat, sanguine pulcher.
grandis in aspectu, pugnarum horrore decorus,
qualis erat referens caelo post bella gigantum
Iuppiter astriferam stellata fronte coronam
atque coruscales fundebat uertice flammas.
pignora naturae concurrunt dulcia patri,
itur in amplexus, et reddunt oscula nati.
lumina uoluebat genitor uisura iugalem,
pergit et ad thalamos post publica limina portae,
inpia quae reducem fallaci uoce salutat:
belliger armipotens, cultus depone minaces
atque habitus dignare pios uix pacis amator.
en tibi uestis adest nostro contexta labore,
aurea purpureo radiantur fila colore.
dixit et exutum tutanti tegmine regem
callida funereo perfundit corpus amictu;
sed capiti dum quaerit iter tunicaeque fenestram,
illa manum retinens armatum accepit Egistum.
erigit ille trucem dextra uibrante bipennem
et ferit incautum caput inpius inpete mortis
ac diademalem frangit cum uertice frontem,
in partes hinc inde duas geminantur et ictus
terque quaterque ferit, diffundit in exta cerebrum.
regina laudante manu rex concidit insons,

vers. 225—263.

Digitized by Google

saucius et tremulo quatiebat corpore terram.
sic aper inplicitus uenantum cassibus ingens,
dum cupit exiliens euadere et retia torqus
concutit ora ferox spumantia dentis adunci
et perdit uacuos conlisis morsibus ictus;
sic Asiae domitor consumtus fine cruenta.
heu, pastoralis populavit membra securis.
aspera sors hominum uel mens ignara futuri,
credere quis posset, si centum flatibus acta
Delphica fatidicos quateret cortina recessus,
antra mouens tripodasque ciens et plectra fatigans,
desertorem Asiae foderet quod cultor agelli,
aut desertor iners ouium pecorumque magister?
et caret igne rogi dederat qui Pergama flammis.
discite felices non unquam credere fatis.
sunt faciles dare summa dei, tamen ante relinquunt
et miseris in fine nocent aut forte repente
destituunt poenasque petunt de morte secunda.
credere qui non uult, Priameia fata reuoluat
atque Agememnoniam uideat male credulus aulam.
clade repentina premitur Pelopeia uirgo,
sed tamen ultorem patris seruauit Orestem
faucibus eripiens germanum Electra parentis.
inposuit pupi secumque adduxit Athenis
et bene sollicitum studiis sapientibus addit.
quae ratis auexit regem haec quoque pignora regis
spesque Agamemnonias et Troica gaza reportat,
cujus erat nimium fidus Pylades amicus.
iunxerat hos studium sollers et gloria linguae;
uelle fuit commune uiris et nolle duobus;
exercebat opus iuuenes si forte palaestrae,
pacatum luctamen erat; per lustra ferarum
uenandum fuerat, socios uenatus habebat;
cornipedem si quisque leuem frenabat habenis,
hoc similis faciebat amor; producere telis
si fuerant animi, iubilans iaciebat uterque,
nec uinci quisquam metuens nec uincere feruens.
sic amat atque fouet germanum Castora Pollux
et paribus uotis Pollucem Castor amauit;

vers. 264—302.

Digitized by Google

mortibus alternis et uitae damna repensant.
uestibus induitur Tyriis homicida et adulter
et poenale caput cingit diadema coruscum,
tanquam legitimus heres Agamemnonis aulae
et magis heredem conuenerat esse Thyestis.
intrat et orbatum per singula quaerit Orestem.
ast ubi res Danaum defessas sentit Egistus,
Troianas raptaret opes spes una manebat;
has quoque cognouit regis cum pignore raptas.
aestuat inpatiens, quod regni nomen inane
offendit, quia perdit opes, quibus esse tyrannus
posset et armari ferroque auroque ualeret.
callida participem sceleris solatur et arte
fraudis et ancipitem confirmat in arte manere,
femineas ostentat opes quas sexus habebat
et diademales profert quasi scrinia capsas
turpibus inducens pretiosa monilia membris.
his, ait, Argolicos emimus per regna fauores,
muneribus proceresque nouos ueteresque trahemus
in nostram transire fidem, nam principis uxor
cuiuscunque libet licet extet pulchra pudica
censibus his ornat nitens placare maritum
adgreditur praesumta suae dulcedine linguae
diuitiis armata meis et dulce uenenum
auribus adtonitis fundet blandita perite
mollibus artifices iungens amplexibus artus
et faciet nobis sublimes sexus amicos.
pulchrius est aurum, sed femina pulchrior auro,
auro foeda placent, auro decorantur honesta,
emollit Cytherea trucem per proelia Martem.
crede mihi iuuenis de sexu femina tracto.
artibus his sollers animos reparauit amantis
et gratis gauisus agit muliebribus ausis;
sordida mens regnare cupit, dux sceptra tenere.
extinctum sub fraude ducem nil tale timentem
coniugis insidiis, ausu pastoris iniqui
et tacito sub corde premunt. de principe ciues
murmure sollicito flentes haec dicta loquuntur:
inpia si Lachesis Parcarum lege bipennis

vers. 303—341.

Digitized by Google

censuerat regem tam turpi morte perire;
illum bellatrix utinam strauisset Amazon
Penthesilea fremens, qua uix euasit Atrides,
et non infami prostratus morte perisset
crimine cum gentis Danaum, cum clade suorum
et detractus humo iacuisset ab arce remotus,
cuius honore carens cumulatur nocte cadauer.
dic mihi, Musa, precor, qua re materna nouerca
quaerere neglexit pueros et tradere captos
patris in occasu? Dorylas libertus Atridis
et pueri nutritor erat fugientis Orestis;
consilium mendax sollerti pectore sumsit
fingere quod pelagus rapidum demersit Atridas
fluctibus aequoreis, qui stans in litore dixit:
di maris et terrae, pietas et origo bonorum,
naturae caelestis amor, mendacibus ausis
uos precor adnuite, fallacia uota iuuate,
credar et advertar mendax adsertor Orestis.
tollere nam insontes cupio de sorte paterna,
quam mater non flenda parat uel uitricus hostis!
dixit et undiuagis uestitus fluctibus intrat
et mare caeruleum tumide spumantibus undis
mersus ad usque caput tunc litora sicca petivit,
turbidus haec plangens funestam currit ad urbem
et querula sic uoce boat: pro Juppiter hostis,
sic placet ulcisci Troes sic perdere Graios?
pro Phrygibus pelagus saeuit mare uindice Trojae:
quid pueri gessere nefas, quid mollior aetas
gessit in Iliacis bellorum tempore campis,
nec fuga sit miseris optata per aequora uectis?
uidi ego mergentem fluctu sorbente carinam,
in qua uectus eram comes et nutritor Atridum,
de qua solus inops euasi remige planta.
iusta Clytaemnestra mitis, crudelis Egistus,
saeuior unda maris, quae nec post bella pepercit
pignoribus Danaum, felix iam Troja uocanda.
dixerat haec cum uoce pia, raptatus ad aulam
muneribus cumulatur opum, quod gaudia ferret
mentibus incestis; nam mox regina proterua

vers. 312—380.

Digitized by Google

inperat acciri populos, uenere coacti,
aedibus in mediis quae sic exorsa profatur:
eximii proceres Danuum populique pusilli,
quos Agamemnonii per ferrea lustra triumphi
non mersere neci sed adhuc superatis inanes
uisceribus uacuis exhausti sanguine fuso,
quod uos sic minuit saeuis Bellona duellis,
regis culpa fuit, qui exhausit ciuibus urbem,
tot nisus uiduare nurus, orbare parentes
et natos spoliare rudes pietate paterna,
inde ferox percussus obit sub morte securis,
cui sua proles iam iacuit modo uindice fluctu.
spondeo iam requiem placidam, sperate quietem,
otia pacis erunt, nullum nocturna cubantem
classica sollicitent, nullas tuba uerberet aures,
temporibus licitis blandos decerpite somnos,
aspera tela tacent, curuentur falcibus enses,
ossibus et nervis dellexis cornibus arcus
ad solas aptate feras celeresque uolucres.
deliciis epulisque bonis refouete senectam,
pignora natorum dulces nutrite nepotes,
unica mors restat morbis finire salutem,
tramite naturae finem labentibus annis
iam sperare licet non propter uulnera ferri
corporis exitium, fas est sperare sepulchra,
ordine legitimo flammas sperare rogales.
et tumulum sibi quisque paret post busta perennem.
germinis ille sui crudelis et inpius hostis
rex Agamemnon erat, patriae dominator amarus,
ciuis Egistus erit me perficiente maritum.
dixerat et cunctos discedere iussit ab aula
ac domibus remeare suis, sed uilis adulter
nescius atque rudis regnorum frena tenere
ipse sibi genium fastu facit ore minaci.
asper erat famulis regalibus, aduena seruis,
inperium non mite dabat, quibus ipse profecto
si famularetur crimen sibi turpe putaret
sceptra triumphorum data sub pastore tyranno,
pro pretio scelerum, mercede sanguinis ostrum.

Digitized by Google

matronale nefas, uxorem dedecus aulae
quis, rogo, non gemeret? tamen hos formido iubebat
infami parere bono, timuere subulcum
acrius, Hectorios qui non timuere furores.
ius Agamemnonium fuerat post Pergama capta,
uerbero plectibilis comes armipotentis Achillis.
possedit regnum Tamiris regina Getarum,
sed nil turpe gerens uindex fuit illa suorum;
si fecit Medea nefas, flammata dolore
dulcis amoris erat, cum regia tecta cremaret
incolumi uiduata uiro de pellice Glauce;
inpia Lemniades sumserunt arma puellae
atque maritali foedarunt sanguine lectos,
sed Veneris furor acer erat facinusque nefandum
quod Scythicae gessere nurus in crimine tanto.
barbara turba fuit, nam tu, regina Pelasgum,
Graecia quam genuit, legum fecunda creatrix,
clara Mycenei coniux et uindicis uxor
crimen adulterii seminasti caede mariti.
Alcestis meminisse fuit, quae morte maritum
manibus eripuit, pia coniugis, inpia de se.
quid loquar Euadnen Thebanis ignibus ustam
et post fata uiri flamma crepitante Nealcen,
inpia quam pietas, affectus dulcis amaram
iussit habere necem, quae contra uulnera luctus
fortior igne fuit, crudelibus usa medelis
et simul ad manes in puluere coningis iuit?
pertulit urna duos, funus quos iunxit amantes,
coniugium felix, exemplum grande pudoris,
inpia sacrilego nupsit post fata marito,
pronuba flamma fuit, thalami rogus et pyra lectus.
quid sit honestus amor, multae docuere puellae.
dum regnaret iners Parcarum crimine pastor
et simul inliciti sese fruerentur amore
annorum septem spatiis et mensibus octo,
ibat alumna manus tumulis regalibus omnis
noctibus in mediis flens haec per tempora regem.
anxia quae gemitu et tremulis ululatibus usa
temperie moderante tremit terrente pauore.

vers. 420—458.

Digitized by Google

tunc ibi libertus sollers nutritor Orestis
euomit in gemitus uoces et uerba doloris:
optime rex quondam, sed nunc miserabilis umbra,
prosperitas cui saeua fuit, uictoria crimen
intulit, et mortem peperit post bella triumphus,
cuius adoratus constat per templa precantis
iratos audisse deos, placata negabant
numina, prouentus Danaos si uincere rectum est;
si gremio Paridis remanens erepta Lacaena,
nonne laborastis Helenam ne pastor haberet?
ecce, tuam nunc pastor habet. si transitus est mors,
si sensus post fata manent, post membra soluta,
si remanent animae, si stat post fata superstes
spiritus, exaudi lacrimas luctusque tuorum,
rumpe solum, findatur humus telluris hiatu,
nisus et armatus subito furialibus umbris
surge, uelut quondam tumulo surrexit Achillis,
exige supplicium de coniuge, soluat adulter
tot poenas, quot membra gerit, morieris inultus
et pastor tua regna tenet. post busta seuere
exegit mortem de uirgine Thessalus heros.
moribus innocuis tu dux inpune relinques
tot scelerum auctores uictricia regna tenere.
di geritis quicunque chaos crudele barathri,
rumpite tartareas proscisso gutture fauces,
mittite uirgineas funesta in tecta cerastas,
ne dubitate, truces uenient ad regna Thyestis,
notum iter inuenient, sua per uestigia current.
non estis Furiae, si quaeritis ante rogari,
ad quodcunque nefas si non nisi sponte uenistis.
sed dubito quia iusta peto, tamen oro cruenta.
spes mihi maior adest, Thebis uicina petuntur
moenia tartareis quondam sacrata tenebris
et claro priuata die sub luce diurna;
ergo precor, cum iusta truces sententia mortis
participes scelerum percusserit ense seuero,
uos Acheronteis tortoribus addite flammas
et Furiis augete malum mortale uenenum,
torqueat auctores scelerum crudelis Enyo;

vers. 159—197.

Digitized by Google

non sat erunt quaecunque reis tormenta paratis.
dixit et ex imo gemuit uox missa sepulchro:
parcite funesto mentem uexare dolore,
meque piis onerare malis, releuare sepulchrum
debuerat famularis amor, quem pessima coniux
criminibus succensa suis et amore pudendo
uel fama prostrante sua muliebribus armis
extinxit, cui uictor eram regressus ab hoste
credo decennalis fraternique ultor amoris,
ultor adulterii, quem fudit adultera coniux,
nec timuit foedare domum, maculare penates
inpete mortifero subita tunc fraude profana;
nam nec inultus ero, ueniet his poena cruenta,
sed ne plura loquar, uera est Cassandra locuta,
credite Cassandrae, uerax Cassandra sacerdos.
dixit et abscedunt omnes linquendo sepulchrum.
illa nocte tamen uolitans Agamemnonis umbra
uenit Atheneis mox sedibus. altus Orestes
illic quippe fuit, cum quo Pylades amicus, —
flatibus alternis perflans conmercia somni;
lassus uterque fuit, concussus amore palaestrae,
et stetit ante toros ambobus uisus Atrides
in somnis, non qualis erat post bella triumphans,
sed qualis cecidit percussa fronte bipenni,
tristis iners tremulus gemitu suspiria rumpens
pallida puniceo perfuderat ora cruore
et tremulas languore manus ceruice uaganti
ac pede uincla trahens, quibus est abstractus ab aula:
non pudet, o iuuenes, dixit, pudentibus annis
uestita sub flore gena lanugine crispa
grandibus instructos studiis et fortibus armis,
ut pastor mea regna notet? promotus in arce
sanguinea mercede luat, sub crimine multo
laetus et indomitus tumida ceruice supinus.
audiat infamis, uos iam non fama perisse
si peto Cecropidas uindictam sospite nato,
incolumi Pylade suo. Patroclus Achillem
Thesea Pirithous non sic expertus amauit.
armati gladios in bella domestica ferte

vers. 199—536.

Digitized by Google

atque adfine nefas cognato ascendite ferro.
nullum crimen erit matrem punisse nocentem,
morte maritali sceleratam iure necabis,
natus amore pio flammatus morte paterna
uindicet ut patrem qui matrem strauerit ictam
crimina purgabit matris de tempore prisco.
nam patrem docet esse suum, quem uindicat armis
dignus adulterii uindex, pius ultor et heres.
noster amor Danais sunt odia saeua deorum.
ite pares animis, uobiscum uernula turba
saeuiet, irati potius quod tardius itis.
ore fremunt famuli qui carpere dentibus optant
corpus Egisteum, uel uiua tradere flammis
coniugis infandae crudelia membra cremanda.
dixerat haec, gemitus somni rupere quietem.
mox Agamemnonia proles instructa sodali
dum narrare parat, sua somnia noscit ab ipso,
ac stupet adtonitus, quae tanta potentia patris,
tempore sidereo mentes monuisse duorum.
dic mihi, frater, ait, dic iam modo, quid sit agendum,
pectora cor sensus animum praecordia mentem
conturbat pietas dolor anxia moeror origo
affectus natura pudor reuerentia fama,
transigo funereum materna in uiscera ferrum,
quae perpendo diu uix primo menso periclo
conceptus portasse meos stimulante dolore,
semina naturae, blandae primordia uitae
uiscera lucis iter uel magni ianua mundi.
ast ubi sortitus nascendi iura peregi
flumine pectoreo dedit ubera lactea labris
dulcia nectarei fundentia mella soporis;
fit nutrix, quae mater erat, regina ministra,
exhibet affectus patrios ignara soporis.
haec pater atque haec mater erat pugnante parente,
donec ab undecimis aetas me duceret annis.
inmemor existam tantorum in matre bonorum,
an pater extinctus per me remanebit inultus?
facta luat pastor solus, superstite matre,
corruat et patrios manes satiabo cruore,

vers. 535—574.

Digitized by Google

poena sit haec matri ut prostato uiuat Egisto
ante oculos recidente suos, muliercula tristis
aspiciat moechum, quae gaudens uidit Atridem.
dixerat haec dubius, sed non cunctatur amicus,
dentibus infrendens suspiria traxit ab imo
pectore longa ferox et sic aggressus Orestem
increpitat: si sensus iners tua corda tepescit,
ut facienda putes, quae nec dicenda fuissent, —
dicere grande nefas, scelus est audire nefandum, —
imus ad Argolicas ueniam donare Mycenas
criminibus matris. magis est quae dignior hora
ad scelus indignum? poenis ferienda duorum.
quaeso caue iuuenis Danaum praescripta dolentum,
ne iugulatricem patris dum uiuere censes,
credaris non esse suus. non iure parentis
umbra soporati, quae te conuenit Athenis,
occurret per mille uias, per limina portae?
obsidet tremulis haec uocibus astra lacessens:
inmeritum sic nate paras defendere patrem,
sic decet extincti genitoris fata dolere,
sic dabis inferias nostris tu manibus ultor?
uitricus optabit tali se morte perire,
ut sit quam post membra rei crudelibus umbris
ingerat inferias animam parcentis Orestis;
uictima seruaris, fuerit nisi uictima mater.
quid facias genitore tuo tibi moesta loquente?
parcitur infaustis, pius es pietate repulsa.
ad tumulum patris fundantur membra reorum,
surge iuuentutis melior spes indole regni,
excitet ingenium uirtus et gloria mentem,
armentur pietate manus, crudelior ensis
truncet in extremo semifera colla duorum.
ibo libens comes ipse tuus per tela, per ignes,
nec metuam quenquam, nostri sunt patris alumni,
sed dabo consilium sollers inmane salubre.
explorator eam, tacita quos uoce moneho,
aduentus sperare tuos, quae turba ministra,
credula dum fuerit, nobis mox corde ferentur
ac pro te rapient gladios, sic tutius itur.

vers. 576—614.

Digitized by Google

talibus adloqiuis accensus felle doloris
erigitur iuuenile fremens mortemque minatus,
dentibus inlaesis frangebat murmure morsus
et quasi adulterium caperet pastoris Egisti,
matris in amplexus infamia membra ligaret,
perculit absentes nullo moriente reorum;
qualiter infremuit post somnia Pyrrhus Achillis,
quae sensus monuere suos, cum nocte sopora
Aeacide stimulante truci deposceret heros
uirginis inferias in Pergama saeuior umbra.
ergo ubi consilium placuit Pyladis Oresti,
mentibus armantur, solis mucronibus usi
callibus occultis, qua semita ducit euntes,
ibant obscuri quaerentes ausa latere,
donec in infames iugulos uindicta ueniret.
sic Diomedeos gressus comitatus Vlixes
Dardana nocturnus peteret cum castra uiator.
sollicitum carpebat iter, non indice cornu
classica bellisonis quatiens clangoribus auras,
sed pede suspenso tacitus sine flatibus oris
ibat ab Argolicis progressus pupibus audax
fortior Oenides, sollers Laertius heros:
sic tacite iuuenes ambo petiere Mycenas.
qui dum iter inceptum peragunt, nutritor Orestis
apparet Dorylas subito trepidantibus illis,
unde uenitis, ait, iuuenes, quiue estis, amici,
quoue tenetis iter? qui nullis uocibus usi
dum transire parant, Dorylas cognouit Orestem,
cuius in amplexum per dulcia colla ruebat,
uiuis alumne? sonans, quia uiuis, uiuimus omnes,
cessimus insidiis, dum luxuriatur adulter,
deliciis fruitur, polluta matre potitus.
templa triumphorum, regalia tecta potentum,
et delubra ducum uel puluinaria regum
crimine prostituens gaudet fecisse lupanar,
nos tamen ad tumulum magni genitoris euntes
plangimus adsidue cuius promissa tenemus,
quamuis Cassandrae fuerint responsa priora.
quod superest, cita poena reis properate, sodales,

Digitized by Google

indole Cecropia, uobis diuina fouebunt,
regales famuli scelus hoc punire precantur.
ne dubitate, uiri, uestras accendere mentes
et capulis armare manus et stringere ferrum,
hunc stimulet pietatis amor, te foedus amici.
hinc dolor exurgat, hinc famae pulcra cupido.
nec labor ullus erit mulierem sternere turpem,
rustica praeterea quae sit mora frangere membra?
dixerat haec senior, spes haec accendit amicos
accelerare gradus, prope iam non esse Mycenas
quidque dolenti ualens, sed pergimus, inquit Orestes,
adceleremus iter, subicit Pylades et inquit,
ito prior senior, nos festinare necesse est,
audiat haec seruilis amor secretus in aurem
et subito speret nos quarta luce uenire.
dixit et abscedens senior praecessit ad urbem,
gaudia dant gressus celeres, quos denegat aetas;
iamque iter emensus fessus peruenit ad arces,
indicat occulte paucis, quia uiuit Orestes
et uenturus erit uindex sub luce futura
sanguinis auctoris, monitis surgentibus, omnes
ut taceant furtimque ferant cuicunque ministro.
cunctis nosse licet, solis nescire negatur
complicibus scelerum, ne se subducere possint,
aut armis conferre manum, defendere uitam.
aduentum ad domini retinet pars uernula portus,
altera pars aedes, pars obsidet altera muros.
reddidit intera rutilum post astra refundens
depositum natura diem stridentibus undis,
sol micat et melior conpensat damna Thyestis.
uiderat Atrides muros, quos liquerat infans,
et memor illorum dextram cum uoce tetendit:
salue, prisca domus, patriae saluete Mycenae,
execranda prius, sed post ueneranda manebis,
sanguine si matris cineres satiabo paternos.
sentiet umbra potens ultam se uindice nato,
quando Eriphylen percussam uulneris ictu
uiderit uxorem uelut auguris Amphiarai.“
dixerat et trepidus muros circuminspicit hospes,

vers. 654—692.

Digitized by Google

qua meminit carpebat iter comitatus amico.
postquam introgressum cognoscit turba ministra
os Agamemnonium gressus oculosque minaces,
planctu gaudentes fremunt sine uocibus oris.
iam portae claudantur, ait Pylades Oresti,
claustra ligant aditus, crepuerunt classica mortis.
securi stupuere rei, terretur Egistus:
non ego promisi Danais per saecla quietem,
nullus ad Argolicos moueat quid bella remansit
Hectore consumto, Troia pereunte sub armis.
dicebat regina furens irata ministris:
uindico si uiuam mecumque senescet Egistus.
talia dum loquitur, quasi uindex saeua minatur,
una puellarum male concita currit anhelans:
uenit Orestes, ait sed statim credita non est,
dum dubitant somnumque putant et uana locutam,
apparet uiolentus atrox Pylades in aula,
qualis in hoste fuit trux inreuocabilis Aiax,
Hectora cum peteret clipeo septemplice tectus;
ore fremens et fronte minax mucrone coruscus
intonat auctores scelerum crudelibus ausis:
regnastis nunc usque truces, euadere iustas
sperastis uos posse manus, modo saeua luetis
supplicia scelerum non una morte peremti.
dixit et ad famulos ultricia uerba retorsit:
praecipitate nefas solio de principis ictum
et pede tractus eat fera uictima regis Atridis.
carnifices frangant durissima membra securis,
et pereat pastor qua regem morte peremit,
ante tamen nostram perfundat sanguine dextram.
dixit et exertum costis inmerserat ensem;
saucia membra trahunt famuli pede uincla ligantes,
postque fores portae, quibus est prostatus Atrides,
ossibus effractis minuunt per mille secures,
et male partitus per uulnera palpitat artus.
at genetrix dilata putat sibi parcere natum,
et secura sui iam pro pastore dolebat,
cum subito truculentus adest inmanior hoste
matris in exitium famulorum nisus Orestes

Digitized by Google

agmine terribilis qui captam crine trahebat
increpitans: inpune tuum post funera patris
sperasti regnare nefas, tumuloque parentis
iungere natorum uoluisti fata duorum?
uiuo, uides scelerata parens, moriere cruente
sed manibus iugulata meis super ossa mariti.
conturbata parens nudis exerta papillis
orabat natum: per haec, puer, ubera parce,
per superos patremque tuum, per clara sororis
pectora, quae nostro te tunc rapuere furore,
et per Pyladem, quod plus est, testor amicum,
da ueniam, miserere, precor, miserere parentis.
si dicis sum digna parens, tum natus inanes.
perdis, ait, lacrimas, genitor te expectat ad umbras.
Ilias ingemuit domini Cassandra ruinam,
nec ferit Andromache famulans post Hectora Pyrrhum.
cum regina Phrygum fieret captiua Pelasgum.
praelato pastore ducis tu colla cruentas.
haec mihi Pylades meus inperat et soror urguet,
ut iaceas mucrone meo truculenta uirago.
ast ubi nil potuit mulier de prole mereri,
mox redeunt animo Phrygiae praesagia uatis.
si placet ulcisci genitorem, dixit, in ambos,
Pyladis me dextra necet, necet ensis et idem
et super ossa ruam recidens spirantis Egisti
et scelerum complex sit nostri criminis auctor.
mixtus uterque cruor testabitur omnibus umbris
consortes scelerum, quia sors manet una malorum.
quod super ossa rogas moechi moribunda iacere,
natus ait, melius recides super ossa mariti,
nec cruor amborum miscebitur ense minaci.
criminibus ne fructus eat morientis amoris
aut operae pretium capiatis sorte malorum,
supplicio sociante nefas, discreta iacebis.
dixit et ad patris ueniens dat uerba sepulcrum:
„sancte parens, quia sensus iners et spiritus extas,
accipito inferias, quas offero, uictima iusta est,
macto Clytaemnestram matronam regis Egisti
atque utinam non ante tuam. solatia nosce,

vers. 732—770.

Digitized by Google

nam iacet ille loco, quo tu percussus obisti.
aetatis mora iusta fuit, quo tardius hoc fit,
olim uelle fuit. subicit Danaeia mater:
sol pietas elementa poli mare flumina tellus
et rerum natura parens tuque atra uorago,
haec spectate truci et nato perhibete, parente
quo genitus fuerit, mercedem cernite lactis.
dixerat haec genetrix, surdis tamen auribus inquit,
quod potuit pietas uultus auertit Orestes.
sol negat almus equos iterum de more Mycenis,
atque tenebroso subtexitur aere caelum,
et non legitimam timuit mox Graecia noctem,
extimuit natura chaos elementa tenebras;
laudat Enyo nefas, textram capulabat Erinnys.
pallia purpurea praestricto dente momordit,
concidit et tunicam manibus tendebat ad imos
usque pedes metuens, ne mortua nuda iaceret.
moesta uerecundo uoluebat lumina uisu,
uix semel infelix extrema in morte pudica,
quod non ante fuit, metuens in funere famam.
candida puniceo rutilantur membra cruore,
uerbere corporeo pressas quatiebat arenas,
tandem iussa mori uitam cum sanguine fudit.
tunc repetunt pariter regalia limina torui.
sic duo terribiles fulua ceruice leones
caede iuuencarum satiati lustra reposcunt.
regia sanguineos susceperat aula sodales.
conueniunt Danai, regis sub honore salutant,
pars dolet Atridem, et pars dolet altera matrem,
nemo tamen facinus uerbis culpabat apertis,
nec fuerat quisquam qui non damnaret Egistum.
transierat funesta dies, sol merserat undis
Oceano stridente rotas, redeunte sorore,
roscida somnigerum reuocabat palla soporem,
tempus adhuc medium uoluebant sidera noctis;
nuncius Hermione uenit de uirgine rapta
stirpis Achilleae Pyrrho praedante rapina.
mox furit Atrides, qui sic exorsus amicum:
nos alius uocat, ecce! labor, raptatur adulta

vers. 771—809.

Digitized by Google

sponsa toris promissa meis, tu regna guberna,
ibo ego per gladios flammas et mille cohortes;
nam decet ultorem patris sibi quippe mereri,
dum tamen eripiam clamantem nomen Orestis.
dixit et accinctus capulo produxit in hostem.
repperit Aeacidem subeuntem templa deorum,
adgreditur iuuenem securum, obtruncat ad aram
et redit ad Danaos elatus caede secunda.
dum solio fruitur patrio diademate pulcher,
astitit ante oculos genetrix sua non ut inermis,
sed faculis armata rogi, subcincta cerastis.
ignibus admotis resolutos crinibus angues
ingerit in faciem iuuenis, mortale minatur.
terruerant haec monstra uirum, furit atria lustrans,
sed sequitur metuenda parens, petit ille recessus
per secreta domus, illic magis inuenit hostem.
obice postposito mox ianua clauditur omnis,
repperit inferius matrem in penetralibus aulae.
infremuit, conata loqui, crudelior, inquit,
inpie, non sat erat pietatis uulnus acerbum,
ni scelerata manus macularet sacra deorum?
claude adamanteas ferrato cardine portas,
obstrue per calcem si sunt tibi mille fenestrae,
omnibus ipsa locis adero tibi saeuior umbra,
per freta per campos per siluas flumina montes.
dixit et igne rogi crepitanti pectora turbat;
ast ubi perniciem non est fas uincere matris,
it manus ad capulum et crebris ictibus auras
diuidit et uacuam reuocat sine uulnere dextram
ac miser increpitat: meus est hic mucro cruentus,
quo meretrix percussa iaces, feriere secundo.
dixit, et agnoscens gladium grauis umbra fugatur
aera per tenerum, tamen, heu! remanente furore.
perfurit Inachius uindex Agamemnonis heres,
ut furit ex Baccho male sobrius ille Lycurgus,
ut furit Aegides saeua terrente Megaera,
ut quondam furuit Danaum fortissimus Aiax.
infremit, inpatiens tota discurrit in aula,
qui famulos matrem, matrem putat esse sodales.

vers. 810—818.

Digitized by Google

mater erat quicunque fuit, uicinus ubique
aspis et ignis erat, fugit hos simul adpetit illos.
Pyladis tamen facies non terret amicum.
inter delicias epulis regalibus aptas
esurit et facibus prohibetur tangere mensas.
sic inferna fames animo torquetur inane,
prandia conspiciens dapibus conferta potentum
ingemit, ac nullus cibus est, sed imago ciborum,
quos nec ut adtinguat furia accumbente uetatur,
quid faciat? quos ille deos, quae numina poscens
eliciat supplex? an tertia regna fatiget?
dum deflent omnes et tota plangitur aula,
alter adest gemitus, tristis dolor et metus ingens.
uenerat Andromachae soboles Pyrrhique Molossus
ultorem genitoris agens. Pylades Orestem
tollit et externas subtractum mittit ad oras.
litore constiterant, fuerant ubi templa Dianae,
mos ubi saeuus erat miser aduena uictima ferri.
ducitur ereptus. mox ipse statutus ad aras
uidit, ut armetur quid ferro more sacerdos,
expulsus terrore furor, mors proxima mentem
reddidit et partem tribuere aduersa salutis,
nam miser ingeminans Agamemnona saepe uocauit.
audierat sollers Iphigenia nomen Atridis:
hostia dic, quis eras, aut cur Agamemnona clamas?
saucius ille refert: ego sum miserandus Orestes
matre Clytaemnestra genitus, regnator Atrides
noster erat genitor. non ultra passa loquentem
proiecit cultrum percussa fronte sacerdos:
soluite carnifices trepidantia membra ligatis
sanguine corda micant, non est haec hostia grata.
dixit et exutum uittis submouit ab ara,
omnibus exclusis non se negat esse sororem,
sed uidet interdum uitiata mente furentem
nil sano sermone loqui, quem nocte precatu
purgat et ablata migrat cum fratre Diana.
ut patriam rediere suam, mox fama Molossum
instruit, accusat gemino de crimine Orestem.
legibus exhibitum mediis induxit Athenis,

vers. 849—887.

Digitized by Google

consedere patres templum praebente Minerua,
surgit Achilleus stimulatus amore paterno.
sic exorsus ait: proceres, legalis origo,
arguo mortiferum sceleratae mentis Orestem,
sanguinis oblitum humani iuris egenum,
sacrilegum superum, perfusum sanguine matris
et dextra fundate sua; sed et altera forsan
mater erat, Pyrrhus numquid fuit alter Egistus?
quem necat in templo caelestia dona ferentem
euersorem Asiae, natum armipotentis Achillis?
forte refert, quia mater erat scelerata profana,
crimen adulterii cumulat quae morte mariti,
percutienda fuit, rea maxima iudice iusto,
non tamen ense suo. quid iam peccasse pudebit,
cui prius est in matre nefas? censete seuera,
Cecropidae proceres, decet ultio talis Athenas,
cuius in exitium sat erit non culleus unus.
talibus hic opus est: nequentur uulnera membris,
tempore sit modico uiuax laniando cadauer.
haec ait et tacuit, cui sic respondit Orestes:
summates Danaum sapientes lumine cordis
culmen Athenaeum censores iuris honesti
gaudeo securus quod apud uos causa mouetur,
sunt quibus uxores, quibus est affectus amandi,
et meminisse reor primaeui temporis annos
quod sit amor sponsae, thalami quae uota futuri.
dis superis grates, quod post tot funera mentis
arguor adsistens inter subsellia sospes.
incolumis ueneror sanctum per iura tribunal,
a licito discerno nefas. tractate, uerendi.
non de lite mea sententia uestra ferenda est,
sed de iure deum, qui me purgasse probantur,
dum medicinalem tribuunt per corda salutem.
nemo poli seruare deum, puto, uellet iniquum,
iustior inuenior, dum matrem uindicat ultor.
si ulciscenda rea genetrix, quid iam pater insons?
quis rogo sacrilegos, quis demens audeat almos
accusare deos, quibus est perfecta potestas?
scilicet accuset, uocet in certamina diuos,

Vers. 888—926.

Digitized by Google

quid faciat facinus, praesumat bella gigantum.
forsitan obiciat, fuerint cur ergo furores?
cura doloris erat, proceres, non poena reatus;
taedia sollicitant animos mentemque fatigant.
Pyrrhus erat raptor, uindex post bella rapinae,
arguit unus iners, quem conprobat ordo deorum.
quaeso duces legum, sententia uestra resoluat
purgatum sub iure deum, sub sorte benigna.
dixit et inposuit moderata silentia linguae,
consilium petitur, facta tractantur Orestis.
mos erat arbitrii, quod dispar calculus iret.
albus adest uitae, nam mortem russeus urguet,
iudicii certamen erat, sententia duplex
discrepat, et numerus par est utrinque coloris.
calculus albus erat habuit quem dextra Mineruae,
is datur ad uitae numerum, purgandus Orestes
dicitur, et procerum talis sententia uera.
si decreta deum homini tractare liceret,
posset Orestis opus legali tramite quaeri,
sed quia praescripto capimur, clementia caeli
non sinit audiri, iuris censura quiescat.
quis temerator erit caelestia iura mouere?
non erat inpunis Paris arbiter ille dearum,
non praestatus erat iudex inpune tonanti.
raptor obit Pyrrhus iusto mucrone peremtus,
quod per templa ruit, fuit et perfecta potestas,
si uellent punire, deis, securus Orestes,
sitque redux patriae nullo damnante reatu.
actum erat, excipiunt populi clamore fauentes,
suscipit egressum Pylades laetus amicum,
amplexuque tenent laeua dextraque sorores,
quatuor et reduces laeti petiere Mycenas,
regia diuitiis replentur tecta relatis.
Di quibus inperio est facilis concessa tonantis
aeris et pelagi terrae caelique potestas,
uos pietas miseranda rogat, uos mitis honestas,
uos bona simplicitas, affectus sanguinis orat,
uos genus humanum, consortia sancta cruoris,
stemmata uos generis, cognatio cuncta precatur:

Digitized by Google

crimina Lemniadum sat erant, Danaeia facta,
quae thalamos fecere rogos, et facta Thyestis
innumerumque nefas, quod sit narrare pudoris.
ecce Mycenea triplex iam scena profanat
Graiugenum famam; uestro iam parcite mundo
atque usum scelerum miseris arcete Pelasgis.

vera. 966—971.

Digitized by Google

Annotatio.

In huius carminis verbis constituendis duobus codicibus usus sum 1) Bernensi (br.), olim Bongarsiano, 45., membraneo, qui etiam Lucani carmen de bello civili continet et scriptus esse videtur saeculo X., sed in quo scriba u recte vocabula scribendi ratione saepissime aberravit et multa turbavit. Nihilo minus codex nonnunquam vestigia verae scripturae continet. Ex hoc codice ipse carmen anno 1834 descripsi. 2) Ambrosiano O. 74. (A.) qui Mediolani asservatur, in charta forma quartanaria saeculo XV. scriptus varia Virgilii, Claudiani, Calpurnii, Nemesiani sive subditicia sive sincera carmina continet. Non paucos huius carminis versus Angel. Maius in specilegio, quod mihi nunc quidem ad manus non est, typis exscribendos curavit. Partem illius codicis in usum meum anno 1847. professor Dr. M. Hertz, vir clarissimus, descripsit. Totum carmen professor Dr. R. Hercher, vir clarissimus, collega aestimatissimus, anno 1854 cum exemplari meo accuratissime contulit. Nonnulla e coniectura emendavi, permulta aliis emendanda reliqui.

Incipit orestis tragoedia. br. *Horestis fabula ab enoch asculano reperta incipit* A.

4. *namquae inguloret* br. *nonquae ingulerat* A. — 5. *regalia* br. — 6. *cerebrum* A. — 8. *prebe probitatis* br. *horestem* A. *oresten* br. — 9. *feroci* br. *moueri* A. sed in margine adscriptum: *alias: feroci.* — 10. *puergantia* br. *sororum* br. A. sed A. in margine habet: *furorum.* — 11. *thracia* A. *tertia* br. *cui dat* A. — 12. deest in A. — 13. *cuturnis* br. — 14. *dactilico* br. *dactiliquo* A. — 15. *dalabem* br. *da nalram* A. — 16. deest in A., in br. non totus adest. — 18. *leuat* br. *bonus* A. *uonus* br. et sic persaepe pro *b* positum est *u*. *urget* A. — 23. *talamos rectante* br. — 24. *tori regalis* br. *genialis* A. — 25. *regum dux rex agamemnon* br. — 29. *iliagasque* br. — 33. *tunonis scriuebat* br. — 36. *dicne.* br. — 37. *horesti* A. — 38. *parenti* A. *patena* br. — 43. *candido* br. *caruasa ponti* br. — 44. *lux* br. A. *ester* br. *aether* A. — 45. *pelasca* br. *pelasgi* A. — 49. *ferre* br. *feret* A. — 50. *seriga uelu* br. *serica uellum* A. — 52. *turinulascra* br. *thuribula sero* A. — 54. *obstipuit* br. *praui* br. — 55. *cultor feriente litata* br. — 59. *esum* br. *summum* A. — 60. *per pauca colla* br. — 61. *et das* br. — 62. *nox inberrigat ore* br. — 63. *cenitor* br. — 64. *gemitu crebro* A. *gemitus crebris sincultibus* br. *singultus* A. — 65. *uocis itu* br. — 66. *iulia noster ramor set* br. *nota* br. *nata* A. — 67. *qui ffigies*, in cod br. inter haec duo vocabula macula est. *uiuis an effigies* A. *isolatilis exta* br. — 68. Deest in pr. — 69. *sit corruis* br. — 70. *actusque* br. — 71. *dirempta* A. — 72. *deae posterarum tempora uita* br. *post tergum brachia uincta* br. Ex coniectura dedi *circumdata.* — 73. *miror p . . . sacra* br. *miror memorali sacra* A. — 75. *sacros* br. *agros* A. — 76. *ulixeneor firmatur* br. — 77. *uenire* br. — 78. *acillis* br. *achilli* A. — 79. *conmisit uliati* br. — 80. *set* br. cf. v. 66. *oras* br. — 81. *mitis at pia* br. *demiserante dianae* br. — 82. *lucenda* br. *ducendo* A. *nullus* br. — 83. *cultrix* br. *turis aluña* br. — 85. *agit precepto retare* br. *ait* (corr: *ast*) *precepta repertae* A. — 86. *peletri iuri* br. *letuia* br. *letima* A. *Letoia* ex coniectura dedi. — 88. *prestas* br. *tribus* A cum correctura *tribuis.* *quodcunque* br. *quoque* A. — 91. *febret* br. A. *uibret* ex coniectura dedi. — 95. *dèsi senecti uidelia suplex br. dempsisse neci tibi delia supplex* A. — 96. *dano* br. — 97. *armata* br. — 98. *nil altum troies* br. *nil actum troes* A. *Troiae est* ex coniectura scripsi. *licenas* br. *micenas* A. —

100. *uestra pietate* br. *ara pietate* A. *redemptam* A. et sic semper interposito *p* cf. v. 71. 95. — 1. *planctos* br. *uultus* A. sed a manu correctrice additum: *luctus.* — 2. *dea crudea crudescit* br. — 3. *oculos uultus* br. — 4. *utramipotens* br. — 6. *ad aethereos* A. *ad aequor eos* br. — 7. *proscindens* br. — 9. *moeceneas* br. *repleral* br. — 12. *dane de* br. — 13. *implentur* A. *caterbis* br. —

Digitized by Google

14. *capturus uisura reges* A. cum correctura: *phrygges*; *captibos uisura friges* Br. — 16. *quauis accessere lomuatresque* br. — 17. *incipiens* A. *adultnera* br. — 18. *plantigeueris* br. — 21. *atque* br. *mandata timori* A. — 27. *ruuor* br. *pudor* A. — 29. *uequoreis* A. *rexit mersus* br. *undis* A. — 30. *concepta* A. — 31. *gradum* br. — 32. *moecos set* br. *fallit iraudax* br. — 35. *hauita* br. *licetesse* br. — 37. *salbe regua pelagnum* br. — 38. *dardarilanedum capte solucia* br. — 39. *tu qui* br. *none pastor* br. — 40. *lectum* deest in br. — 42. *udac uestros relebare* br. — 44. *udest efuta uibanter culpa* br. — 45. *iam putet e. u. colla pupenis* br. — 46. *censura pulorum* br. — 47. *horestes*. A. et sic semper. — 48. *uiuctima* br. — 51. *uiserum f. a. h. purgaudis* br. *purgaudus horestus* A. — 52. *det elisam retineat* br. — 54. *et pallor* br. — 56. *pubeuti* br. — 57. *laeta reddit* br. — 59. *uultibus addens* A. *uultibus uptans* br. — 60. *nuutia* br. *numina* A. — 61. *aduouitis lascibus querit* br. *attonitus lascinus* A. — 64. *post uelu* br. — 65. *zelo* br. *telo* A. — 72. *unuo* br. — 73. *gloria ut* (i. e. uel) *ligeri fer. et armara* br. — 75. *uellorum* br. — 76. *ut sanguinis usti* br. *et sanguinis ulti* A. — 78. *gasta* br. — 79. *multis sceleris* br. — 81. *causa habet uiteq: nescis* br. — 82. In br. ultimae versus literae *ictum* desunt. — 84. *morus* br. — 86. *hortor tamen* br. — 87. *inpersone* br. *impero ne* A. — 88. *aguuceunouo uisu* br. — 89. *funereos* br. — 91. *semper inops* A. *egit q. p. ostem* br. — 93. *brbis est et perb*; br. — 95. *iners retinens* br. *uecidens* A. *nequiens* scripsi ex coniectura. — 96. *exolat* br. — 98. *felicioribus* br. — 99. *atque gauceunouio* br. —

200. *exemplum regens* br. *exemplunque regens* A. Ex coniectura scripsi *receus*. — 1. *interfectur item* br. — 3. *metuant* br. *sterno thiestis* A. *sternotiestis* br. — 5. *ualeuo* br. — 6. *lauore et tinguere* br. *laborem extinguere* A. ex coniectura *labor est ext.* — 7. *atque* br. — 9. *grusso* br. — 10. *feris* br. *erit* A. *ferus* ex coniectura dedi. — 12. *rupit hec serta tgr.* br. *uolet exertare tgr.* A. — 13. Deest in A. *praeuento ratrox* br. ex coniectura dedi: *praeuenta et utrox.* — 16. *succumbe eo* br. *mcelella* br. A. — *abertere funere* br. — 18. *nostris* br. — 19. *infauta loqueus* br. *infausta rogans* A. — 20. *turpidus* br. A. — 21. *audacem terrorque proterbun* br. intermediis omisssis. *terrorque superbum* A. — 23. *ostem* br. — 24. *iaus* br. — 26. *uibrando* br. A. *trisulcat* br. Ex coniectura scripsi *uibraute*. — 27. *resumsit* br. — 29. *inplete plecti rustica* br. inter secundam et tertiam vocem rasura est. *implentem amplecti per rustica* A. — 31. *uicē retibens* br. — 33. *uarios ornata choronis* br. — 34. *plus magis* br. *discrimine* A. — 35. *rupit inde* br. *rapit inde securim* A. — 37. *inter claustra* A. — 39. *ratae* br. *tracta tellure* br. — 41. *orrore* br. — 42. *erat caelo referens* A. *uela* br. — 44. *adque* br. *choruscales findebat* A. — 46. *oscula panti* br. — 48. *pertinget ad* br. *pergit et ad* A. — 51. *uir pacis* A. — 52. *contesta lauore* br. — 54. *det exutūtutuuti tecmine* br. — 57. *accipit* br. — 58. *dextram* A. *uibrante uipennem* br. — 60. *uertice fauceu* A. — 61. *seminantur* br. — 63. *laudate m. r. condidit* br. — 66. *euaderet retia* br. — 68. *collisis dentibus* A. — 69. *cruento* A. — 71. *ut meus* A. (cf. ad 173.) *uel mens* br. — 73. *delficastidicos* br. — 76. *pecudumque* A. — 79. *dare . . . madei* br. inter *e* et *m* parva est lacuna. — 80. *miseros* br. A. in A super *o* positum est *i*. *at forte* A. — 283. *atque* br. — 85. *sereauit oresten* br. *horestem* A. — 87. *atenis* br. *athenas* A. — 88. *sapientis addit* br. — 90. *spes agum* br. — 91. *eram* br. *pilades amoris* A. — 92. *iuucxerat* br. — 98. *huuc similis* A. *hoc* br. — 99. *inhaleuis* br. Post hunc versum in br. haec scripta sunt: *Paruenc insus erat pueris sic acullus es*, quae sic fortasse sunt legenda: par bene sensus erat pueris. —

300. *nec ui nec quicquam* br. ultimi vocabuli literae *c* impositum est *s*. *niucere serens* br. *ferunens* A. — 1. *amutaque* br. *pastora* br. — 2. *post lucem pastor amabit* br. — 3. *uentibus* br. *mortibus* A. — 4. *omicida* br. — 5. *choruscum* A. — 7. *tietis* br. *tiestis* A. — 8. *intrate torna tum* br. *horestem* A. — 9. *defossa sensit* br. — 11. *reges* br. *castus* br. *raptus* A. — 12. *extuat* br. — 13. *ostendit* br. — 14. *auraque* A. — 15. *particem* br. *solutare acte* br. *solutur et altae* A. — 16. *anticipitem* br. — 17. *quos* A. — 18. *quos surrula gopsos* br. — 19. *mauilia* br. — 20. *panores* br. A. Ex coniectura scripsi *fauores*. — 23. *liuet extae pulera* br. — 25. *adgredituce praesumta* br. — 26. *diuitias* br. Legendum esse videtur *nouis* pro *meis*; sed omnia haec verba ita sunt corrupta, ut vix quicquam corrigere auserim. — 31. *onesta* br. — 32. *citerea tricem* br. *cythara* (in marg *cytherea*) *trucem* A. — 33. *feminea* br. A. — 40. *loquantur* br. — 41. *sillacessis p. l. nipennis* br. — 42.

Digitized by Google

ceusuuera regem t. t. m. periret br. — 43. *adque utinam minalenem per uella periret amazo* br. ex quibus literis vix aptem alicere possum sententiam, qua de causa totum versum ex A. recepi. — 44. *pentesilea* br. A. *quauis* br. A. Ex coniectura scripsi *qua uix.* — 45. *infanda prostratus* A. *periret* br. — 46. *cum clamide* br. — 47. *et per detractus* br. — 48. *cadens* br. — 49. *qua spe* br. A. Ex coniectura dedi *qua re.* — 50. *neclexit* br. — 51. *occasus dodilas* br. *atridae* A. — 52. *horestis* br. A. — 54. *finge q. p. rauidus demerserit atridis* br. — 56. *origo populorum* br. — 58. *annum fallacia uota uota iubate* br. — 59. *adsertor honestis* br. *assertor horestis* A. — 60. *insortes* br. — 61. *mater plenda parat uel bitiens* br. — 263. Deest in A. — 265. Deest in A. *ad irbem* br. — 66. *uoce uocat* A. *uoce uoat* br. *pro iupiter estis* A. sed in marg. adscriptum est *hostis.* — 68. *saeuit pelagus* A. — 69. *quod pueri* br. *quod . . . gessere* A. inter haec vv. parva lacuna. — 70. *cessit* br. *iliacos b. t campos* br. — 72. *dum uidi* br. *mergentes* br. A. *carinas* A. — 73. *erat comes* br. — 75. *cliternmestra tremitis* br. — 76. *uela* br. — 78. *diceret haec* br. A. — 81. *inperat . . . citu* br. inter haec vocabula parva est lacuna. — 82. *quem sic extorsa profari* br. — 84. *perferre lustra* br. — 85. *necis sed aduc supertis* br. — 87. *quod sic minuit uos saeuis* A. — 88. *que exausit* br. — 89. *tonisus* br. *tot uixus* A. — 90. *spoliare ciues* br. — 92. *quae sua* br. *quo sua* A. Ego *iam* interposui et primo versus loco scripsi *cui; fluctum* br. — 94. *cubante* br. — 95. *sollicitant nulla stipulauerat aures* br. — 96. *decerpere* A. *recerpite* br. — 97. *uacant c. f. enses* br. — 98. *deflexos c. arcis* A. — 99. *agitate* A. *scelerisque* br. —

402. *fuiire senectam* A. — 4. *licet et propter* br. A. — 7. *perhennem* br. — 8. *impius heres* A. — 9. *patri dominator* br. — 10. *me profitente* br. — 11. *descendere iussit* A. — 14. *ipsa sibi* br. — 17. *siue turpe* br. *sibi uile* A. — 19. *sanguinis hostem* A. — 22. *bubulcum* A. — 25. *acillis* br. *acilli* A. — 29. *cremabat* br. — 30. *incolomi* br. — 32. *lectus* A. — 34. *quos quitice* br. *quos scythicae* A. — 41. *loquar eua dente banis* br. — 42. *fata uiror* br. A. *crepidante redalem* br. — 43. *cum pietas* br. A. Ex coniectura: *quam pietas.* — 45. *crudelibus amedellis* br. — 48. *conuiuium felix* br. — 52. *inheret parcurum* br. *crimina* br. A. — 53. *inlicitis* br. *illiciti* A. — 56. *fluens per hec tempora regem* br. *fluens tempora perdita regum* A. — 57. *gemitum* br. — 58. *pauorem* br. — 59. *horestis* A. — 63. *uela triumphis* br. — 66. *uincere tecta* br. *uincere rectum est* A. Versus corruptus esse videtur. — 68. *laboratis elenam ne pastorali haberet* br. — 70. *census* br. *membra salutem* br. — 72. *fluctusque* br. *fletusque* A. — 73. *unus telluris iatur* br. — 74. *furalibus* br. — 79. *tessalus eros* br. *thessalus heres* A. — 81. *actores* A. — 83. *thartareas prosciso* br. — 85. *benient a. r. testis* br. — 88. *non licet sponte potestis* br. *nonnisi sponte uenistis* A. — 90. *theuis uicina* br. — 94. *percusserit tense* br. — 95. *aceronteis* br. — 97. *actores* A. cf. 481. — 98. *tormenta parentis* br. — 99. *gemitu* A.

500. *lalore* A. superscriptum *do.* — 7. *adulter coniux* br. *adultera coniunx* A. 8. *maculare pente* br. — 9. *tum fraude* br. — 10. Deest in A. — 13. *et absedunt* br. — 15. *alter horestes* A. — 17. *commerca* br. — 19. *ambibus* br. — 20. *post uela* br. — 23. *pallea punice* br. — 24. in A. legitur post vers. 525. — 27. *genas* br. — 30. *cluat* br. — 32. *plaudeat* br. A. *perissem* br. *audiat* dedi ex coniectura. — 33. *si spero cecropidas* A. *si peto cicropidas* br. — 34. *incolomi* br. *acillen* br. — 35. *tesera piritous n. s. e. amabit* br. — 36. *gladios in uella* br. *gladio* A. — 37. *adque adfine* br. *atque offine n. cognoto* A. — 40. *paterne* br. — 41. *patrem matrem* A. *icta* br. — 43. *esse sicum quem* br. — 44. *ultores theres* br. — 45. *danaum* A. — 46. *turua* br. — 47. *sentient irati* br. *quod t. istis* br. *quo t. itis* A — 50. *coniugis infande c. m. ore manca* br. *infraude c. m. cremanda* A. — 52. *agamemuimia proles* br. — 53. *ab illo* A. — 54. *adtonibus quae t. potenta* br. — 61. *perpenda diuue qui nomen se periclа* br. Quae sequuntur turbata sunt. — 62. *portare m. stumulante* br. — 66. *flumine perpetuo* A. — 67. *mella saporem* br. — 70. *parentem* br. Interposui ad metrum restituendum *atque.* — 71. *undecimis mea aetas eximeret annis* br. *nndecimis aetas me duceret annis* A. — 72. *matre uonor* br. — 74. *solusque superstite* br. — 75. *saciabor* br. — 78. *mecum garrula uidit atridem* br. *qui gaudens uidit* A. — 79. *haec diuius* br. *cunctator* br. — 81. *aggressos* br. *horestem* A. — 82. *sic sensus* br. — 84. *audi benefandum* br. *audiri nefandum* A. — 86. *uage itq: dignior ora* br. — 87. *a scelus* br. — 89. *dum uidere* br. — 93. *obside te tremulis* br. *lacessent* br.

Digitized by Google

Fortasse scribendum: *tremulis te uocibus* — 94. *inuenitor sic nate p ras* br. — 95. *fata genitoris adempti* A. — 98. *ut sit quae post* br. A.

600. *uictimas et uaris* br. — 2. *pius an pietate* br. *pius est* A. — 3. *fundentur* br. — 7. *extremo gemitus fercaucla duorum* br. — 9. *hanc metuam* br. *uestri* br. — 12. *turba minis* br. — 13. *corde fruerunt* br. — 14. *rapiunt* br. *sic ocius* A. *sic totius* br. — 16. *iuuenale* br. *iuuenile* A. — 23 *truci cum posc.* br. *truci deposc.* A. — 25. *ergo ubi* br. *sic ubi* A. — 28. *causa* br. — 34. *si pede* br. A. — 36. *inides s. lertius* br. — 37. *sic aetatene iuuenes petiere* br. *ambo petiere* A. — 39. *doloiras sibi trepidantibus* br. *dorilas subito trep.* A. — 45. *lux oriatur* br. — 52. *fuerit* br. — 55. *regia familia se. h. punite* br. — 57. *manus astringere* br. — 62. *amicus* br. — 63 et 64. Desunt bi versus in A. *ualenes s. p. inquid* br. — 65. *subiecit* A. *subicit pilades et inquid* br. — 70. *dent gr. celeris* br. — 71. *peruenit uterque* A. — 74. *moniti surgentibus* br. A. — 75. *circumque ministro* A. — 77. *possent* br. — 79. *aduentum domini pars retinet* A. — 81. *rustilum* br. — 83. *micans* br. *damnati estis* br. — 84. *arides m. q. linquerat* br. — 85. *sed m. ill. dextrum* br. — 86. *salue* br. — 90. *er . . file* br. *eriphilem* A. — 91. *agurus anfiarat* br. — 92. *circumuinspicit ospes* br. *circumspicit hostes* A. — 95. *introgressu cognosci* br. — 96. *hos agam.* br. *oculosque mannsque* br. — 99. *stipuere* br.

701. *ullus* A. — 703. *dicabam* br. — 704. *sic uiuam* br. *si uiuam* A. — 6. *puellarumale* br. — 8. *locuta* br. — 12. *coruscis* br. — 13. *actores* A. — 14. *regnantis* br. — 15. *sperastis suos* br. — 16. *suplia scel.* br. *perenti* br. — 17. *famulos suos ultr.* br. — 19. *atridae* A. — 21. *rege* br. — 25. *postquam fores* br. *atridae* A. — 26. *ossibus et fractis* br. — 27. *partitos* br. — 29. In br. *iam* est omissum. — 32. *crimine trabat* br. — 38. *mamillis* A. — 39. *natum puerum ista per* A. *natum pe hec puer ubera* br. — 41. *furori* br. — 42. *piladem* A. *est estor amicum* br. — 43. *parente* br. — 47. *post hec* br. — 51. *iactas m. m. tr. uirgo* br. — 53. *frigiae praesagia fatis* br. *praesagia sortis* A. *uatis* iam J. B. Sinner in catalog. bibl. Bernens. T. I. p. 508 emendavit. — 55. *net necet* br. *necet: nec ensis* A. *necet, necet* Sinner l. l. — 56. *recedens* br. — 57. *complex et nostri* br. *complex sit n. cr. actor* A. In cod. A. versus hoc ordine sunt scripti 755. 757. 756. — 59. Post hunc versum in cod. A. legitur versus 765. inclusus syllabis *ua-cat.* — 62. *ne cruor* A. *mense minaci* br. — 63. *nec fructus* br. — 67. *sancte pater* A. — 68. *infecias* br. *inferins* A. *iustae* br. *iusta est* A. Utroque loco iam Sinner rectum habet. — 69. *mato* br. — 73. *danae mater* br. *daneia mater* A. Emendavi *Danaeia.* omnis haec oratio turbata est. — 76. *exspectate cines nator et hibente parenti* br. — 77. *quod genitus* br. *quo fuerit genitus* A. — 78. *dixerat et* br. *genitrix* A. — 79. *quod potum* A. — 80. *almus quos* br. — 84. *enio* br. *crinis* br. *herinis* A. — 85. *purpureo* br. A. — 92. *harenas* br. — 94. *lumina* A. — 99. *atridens* br. *mater* br.

804. *rosida* A. — 6. *hermionae* A. *hermione* br. — 809. *extorsus* br. — 15. *subientem* br. — 18. *diademate frangit* A. — 21 et 22. in br. transpositi sunt ita ut versum 820 sequatur 822 et hunc 821. — *resoluto sortibus anges* br. — 22. *faciem inalenis: motale* br. — 23. *uirum fuit* br. — 24. *recensus* br. — 26. *claditur* br. — 29. *sat erant* br. — 30. *ut scelerata* br. *maculare* br. — 31. *adamanteos f. c. postes* A. — 32. *estrue per calium si sunt tibi mille funestrae* br. — 34. *freta per terras* A. *silua* br. — 35. *angue rogi* br. — 36. *uincere matr* br. — 37. *in manibus ad* br. — 41. *agnosces* br. *umbra gramatur* A. — 42. *furorem* br. — 43. *inacius* br. — 44. *ex uaco male* br. *licirgus* br. *ligurgus* A. — 45. *furit a . . cides seua terrentem egebat* br. — 47. *furuit.* Sic uterque codex. — 47. *totam d. in aulam* br. — 48. *famulos matrem putat* br. — 50. *os simul* br. — 53. *esuriret fancibus* br. — 57. *quos nocet adtinguat furiaccibente* br. — 58. *quo numina poscent* br. — 59. *supplex ut* br. — 60. *deplent* br. — 64. *tollite externas* br. *tollit et extremas* A. — 65. *litera conticera fuerant* br. *ibi templa* A. — 66. *mos serbus ubi* br. — 67. *ducitur erectus* br. A. *mox statuitatus ad* br. *mox ipse staturus* A. — 68. In br. inter *armetur* et *ferro* lacuna. In A: *armetur quid ferro move.* — 70. *triuere aduersa* br. — 72. *sollers sifigenia nomen atridis* br. *sollers ephigenia n. atridae* A. — 73. *ostia* br. *clamans* br. — 79. *corda carent* br. — 83. *precatum* br. — 85. *patria r. sua* br. — 88. *conscendere patres* br. — 89. *surgit atihilleus* br. — 92. *oblitu* br. —

Digitized by Google

94. *fundate* br. A. — 95. *pirrus* br. — 97. *auersorem* br. *achilli* A. — 98. *refet quia mater scelerata* br. —

900. *fuit trea* br. — 2. *censet haec reuera* br. — 5. *hoc opus* br. — 6. *tempore sed* br. — 8. *lumina* br. — 9. *ateneum* br. *atheneum* A. — 11. *affectus amandi* br. A. — 13. *quod sit . . or* br. — 15. *adsistiens inter subselia sospes* br. — 16. *incolomis* br. — 17. *tractante* A. *uenendi* br. — 20. *salutes* br. — 21. *deum* br. A. *uelle iniquum* br. — 24. Deest in A. — 26. *aucuset u. in c. duos* br. — 28. *cur ergo nocentes* A. — 29. *ne poena* br. — 36. *fata tractantur* br. — 37. *arbitri quos* br. — 39. *suplex* br. *dupplex* A. — 40. *paris utrique* br. *paris utrinque* A. Ex coniectura dedi *par est.* — 42. *his datur* br. — 43. *pocerum t. s. perra* br. — 50. *necter estas erat* br. *inpone* br. — 51. *iuxto* br. — 54. *damnantes* br. — 55. *attuerant excipiunt* br. — 56. *egressus* br. — 59. *diuitiis reputuntur* br. *implentur* A. *re . . atis* br. — 62. *honestos* br. — 63. *uos una* br. — 66. *naiadum sat* A. *daneia* br. A. cf. ad vers. 774. *fecta* br. — 69. *miceneas* br. *myceneos* A. — 70. *uestro* br. — *nostro* A. — 71. *sceleris* A.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google